

de more suo eorum inimicis guerram^c inferre [a] crudelissimam proposuerunt. Incisis itaque arboribus^d et vineis, atque segetibus usque Forolivium et Castellonum penitus [b] dissipatis, sub anno itaque [c] Domini MCXLIII [d], Faventini prædictum obsederunt castrum [e], quod manganis et aliis tormentorum generibus in mense maii per septimanas expugnaverunt quamplures. Ad quorum servitium, post multas et magnas dilationes, venerunt Bononienses, cum quibus, per septem dies tantum moram facientes [f], octava die ad propria remearunt [g]; quibus cum nostri expensas omnes dare essent parati, et insuper centum libras [h] communitati die qualibet, eos tenere non valuerunt. Hanc vero prodicionem [i], hunc perpetuum Faventinorum dolorem, ut indagatum est postea, profecto non fecit Communitas, sed iniquissimus quidam [j], videlicet Rodolphus [k] Geremias, ob amorem episcopi Livienensis, qui suus dicebatur nepos. Scientes per plurium juramenta, quod castellani, victualibus deficientibus et aqua præcipue, ultra tres vel quatuor dies se tueri non poterant, super omnia castrum expugnare optabant. Cognito nempe quod Rayennates super Pontem de Runco [l] [A] innumerabilem congregaverant exercitum, die sequenti, castra civium aggredi cupientes, majorem circa castrum facere moram merito formidabant. Cogitantes^e autem quod ab amicis [m] in loco tam dubio, deserti fuerant [n], et quod Imolenses spreto juramento eis non succurrerant, similes facti naviculæ diversis concussæ de procellis, quid potissimum facerent, eligere nesciebant. De consilio igitur [o] comitis Guidonis [p] [B] domum, licet tristes atque gementes, revertuntur; defectu^u namque [q] amicorum victoriam, post tot labores, amiserant; nec ob hoc guerram remissius egerunt. Imo modis omnibus suos postea flagellarunt inimicos. In hac autem guerra ducentos^o quinquaginta fecerunt [r] equites.

De fuga Comitis et hominum de Cunio.

CAP. XLIII.

Sub anno Dominice incarnationis MCXLV, die XII [r] mensis Januarii, cum Faventini equitaverunt ad castrum Cunii, in Garnarolo equitibus et peditibus prædicti

[a] guerram inferre. Bis guerram habet C. M. — [b] Castellonum penitus. Sic C. M. — [c] sub anno itaque. Sic C. M.; sed itaque, vel hic redundat, vel redundat in superioris periodi initio. — [d] Domini MCXLIII, Codd. M. et A. In C. V., MCXLIII. — [e] obsederunt castrum. Sic lego. Obsiderunt castrum, Codd. — [f] tantum moram facientes, Codd. M. et V. In C. A., tantam moram facientes. — [g] ad propria remearunt. Sic lego cum cl. Mitt. et C. V. In C. M., ad propria remearent. — [h] et insuper c. libras, C. V. In C. A., infra c. libras. — [i] Hanc vero prodicionem, hunc perpetuum Faventinorum dolorem. Sic lego C. M., cum cl. Mitt. In eo enim, ut protuli, omnino legitur, excepto perpetuum, cujus loco est per petium. Hinc fortasse factum est, ut in Codd. V. et A. legatur sic: hanc vero prodicionem, ut per Petrum Faventinorum prætozem indagatum est postea. — [j] sed iniquissimus quidam, C. V.; et sic lego C. M. Alii habent iniquissimi quidam. — [k] Rodolphus. In C. M. Rodulfus. — [l] Pontem de Runco. Sic Codd. — [m] deserti fuerant, Codd. M. et V.; destituti fuerant, C. A. — [n] De consilio igitur, Codd. A. et M.; de consilio ergo, C. V. — [o] comitis Guidonis, C. A. In C. M., pro Guidonis, est littera G. In C. V., comitis Guidi. — [p] defectu namque, C. V.; defectum namque, C. M. — [q] ducentos quinquaginta fecerunt, C. V. et Cl. Mitt. In C. M., pro ducentos, est ducentes. In C. A., pro fecerunt, est fuerunt. — [r] die XII mensis, Codd. M. et A. In C. V., die VII mensis.

[A] Vulgo, Ponte del Ronco. Flumen Runcus, sive Vitis, est inter Forolivium et Forum Pompilii medium.

[B] Comitis Guidonis, idest Guerrae, de quo supra.